Lesłowski Alb. Casimiri: Monumentum triumphale —

MONUMENTUM TRIUMPHALE,

coronatis duobus Colossis,
immortali gloriæ,
Illustrissimi olim, & Magnifici Dñi,

D. STANISLAI
à POTOK
POTOCKI,

CASTELLANIDÆ CRACOVIENSIS,
HALICIENSIS, COŁOMYENSIS &c. &c.
PRÆFECTI,
in maximo cum Turcis ad Viennam conflictu,
pro DEO, fide, & Orbis Christiani conseruatione,
morte gloriosissima sublati;
Dùm ei,
publico omnium dolore, & magno sepulchrali apparatu,
in Ecclesia Collegiata STANISŁAVOVIENSI,
Iusta Funebria persoluerentur,
in argumentum debitæ venerationis, & gratitudinis,
A
M. ALBERTO CASIMIRO LESIOWSKI,
Philosophiæ Doctore, Canonico, Rectore,
& Ordinario Eloquentiæ Professore Stanislauouiensi,
eiusdem Academiæ Stanislauouiensis nomine,
parentali obsequio,

ERECTUM.

Anno Salutis, 1684. die 10 Mensis. April.

CRACOVIÆ,
TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne, ILLUSTRISSIMÆ DOMUS POTOCIANÆ.



Tergeminæ CRUCIS hîc, Victricia symbola regnant;
 Martis ubi Lechici, regnat in Orbe decus.
In CRUCE tota salus; pro qua POTOCIUS Heros,
 O nimiùm cecidit, victima grata DEO!
Sanguinis hoc pretio, stat libera facta Vienna;
 Hoc est in summo vincere, sic cadere.

CELSISSIMO, & ILLVSTRISSIMO
HEROI,

ANDREÆ
à POTOK
POTOCKI,

CASTELLANO CRACOVIENSI,
Halicien: Lezayſcen: Sniatynen: Colomyen: &c. &c.
GUBERNATORI,
Domino, & Patrono Ampliſſimo.

MAgnitudinem doloris Tui, Monumentū hoc non auget; ſed imminuit; dùm coronatum à morte, palmis, & laureis victricibus, Filium Tibi ſiſtit. CELSISSIME, & ILLVSTRISSIME HEROS. *Orbis ille quidem lachrymas, nedùm Paternas meruit, fateor. Sed vbi tantæ lachrymæ? quæ voraginem hanc impleant; cui ſola par menſura, æternitatis ſine menſura abyſſus. Excedit dolendi materies, vim omnem dolentium; vnico tamen ſananda remedio: ſi nimirum immanem vim mœroris, exceſſus gloriæ vincat. Ea mihi, in hoc Monumento Triumphali mens eſt; Coloſſum, & metam dolori figere; theatrum aperire, & magnificentiam triumpho; vt Filius Tuus glorioſiſſimus, qui ſuperauit annos, & Heroas virtute; excedat ſecula poſthuma, & omnem poſteritatis admirationem, triumphandi ab obitu maieſtate. Quanquam hæc, nunquam illi par ſurget; nunquam exæquabit immenſum gloriæ illius; quod emenſus eſt breui compendio; tot panegyres promeritus, & coronas; quot profudit ſanguinis guttas. Abſoluit ille Olympia ſua, cum Orbis ſtupore; Victor non Olympiade, ſed momento. decurritq; à calce, quod aiunt ad columnam, tàm pernix ad gloriæ coronas; quàm ſi, Olympici ad Viennam ſtadij medium, non tetigiſſet. Tuus hic* CELSISSIME HEROS, *in lacrymis dulcor; Tua in pelago doloris, ſolatij guttæ; ſed quæ deinceps, diuinis ſolatijs, & maiori in dies tanti nominis celebritate, in perennem excreſcet gloriæ fontem. Multùm Tibi debuit ſemper, & debebit æternùm Patria noſtra; quod in Te, antemurale ſuum, in partibus illis continuò ſentiat; in quibus Mars ipſe, & contra barbaras gentes, tota virtutis bellicæ,*

excubat palæstra. Secura fecisti toties, & quotidie reddis, viscera interiora Regni; vitæ, sanguinis, & fortunarum Tuarum, tanto dispendio; quantum nulla Tibi diues Lydia, nullus Indiarum Ganges rependet: & cui computando, vt sola nonnisi recte factorum conscientia; ita & coronando, solum non nisi æternitatis Capitolium sufficit. Quicquid tamen contra Moschuam, Borysthenem, Mæotidem, Leonesq; Suecicos; contra Asiam, Pontum, & Istrum militaribus copijs Tuis, virtute, & fortitudine Heroica egisti; quicquid in Senatu, pro Religione, pro libertate, pro legibus publicis, & salute communi, summâ prudentia, & authoritate decretum perfecisti: totum id, vnicâ hac, pro Orbe Christiano euisceratione Tui, & tanti Filij oblatione vicisti, excessisti: vt iam meritò, in eodem Monumento triumphali; & oblatus à tanto Patre Filius, & Pater in tanto Filio coronatus triumphet. Quod quidem, supra Colossos Triumphales æternitati seruandum, Academia Tua Stanislauouiensis, parentali obsequio, per me vt exprimeret; & vis summi doloris, & deuincta æternùm maximis beneficijs, gratitudo poposcit; cùm Palladem nostram, excordem, omninò, & sine vllo viscere, publicum Orbis iudicium crederet; si in tanto munificentissimi Fundatoris sui cordolio, in minuta cordis afflicti fragmenta, non scinderetur; si minimo quamuis conatu, maximum Tanti Parentis Filium, æternæ memoriæ non consecraret. Moles igitur triumphalis, non Pario lapide substructa, nec ære Corynthio fusa; sed supra quoduis opus Augustum, morte Filij Tui, & fastigio gloriæ in immensum assurgens; ponitur illi à nobis, in Orbis Christiani Capitolio; pro quo, caput suũ posuit, innocenti sanguine purpuratum. Tibi verò CELSISSIME HEROS, *vectigal hoc doloris, & cor Tuum in Filio, profunda veneratio mea sic dedicat; vt in eodem sinu Patris, in quo dulciter vixerat; post obitum quoq; Filius placidè conquiescat. Pande huic pretioso deposito, viscera Paterna; pande & opellæ meæ, amplissimi Patrocinij locum. Deoq; solatia Tibi, pro ingentibus lachrymis rependente; nascantur, quod voueo, ex illis, & ex sanguineis Filij Tui guttis; in Celsissima Domo Tua perennes, dierum, & Annorũ gemmæ; honorũ, meritorumq; Purpuræ, & Coronæ.*

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS VESTRÆ,

Cliens deditissimus,

& indignus coram Deo Exorator,

M. ALBERTVS CASIMIRVS LESIOWSKI,

Philosophiæ Doctor, Canonicus, Rector, & Ordin: Eloquentiæ Professor Stanislauouiensis.

MONUMENTI
TRIVMPHALIS,
COLOSSVS I.

CELSISSIMI POTOCIANI Sanguinis, auito per tot secula splendore INSIGNITVS.

COrdolium morti, nemo vnquam acerbiùs dedit;
quàm qui in bellatorum Augusto funere,
lachrymas vertit, in triumphos.
Promiscuum dolendi genus est, quod lamentis agitur;
habetq; Niobem suam, vdo semper oculo;
sed corde sicco.
nempè, qui egeritur dolor, facilè arescit.
Mors bellatorum augusta,
quia sanguine proprio purpurata,
supra omnes lachrymas, supra luctum,
pro atra nube, & pullatis vestibus; læta conchylia,
& solenne paludamentum induit;
quia nemo augustiùs vicit, quàm qui in purpura cecidit.
Capulares vrnæ,
non capiunt exuuias sic morientium;
nec Artemisiæ mausolæa Cineres huiusmodi;
sed Orbis Capitolia poscunt.
Triumphale proinde opus,
immortali gloriæ Tuæ, coronatis molimur Colossis,
Bellatorum æui nostri, in flore gemma;
sed & victima DEO gratissima,
Celsissimi Sanguinis,
ingens vt delicium, sic & doloris stupor,

 STANI-

STANISLAE
à POTOK
POTOCKI,
Caſtellanida Cracouienſis,
Præfectę Halicienſis, &c.

Heroum in puncto epitome, & coronis.
Solium Tibi gloriæ,
non mortis Sarcophagum meruiſti, cruore illo purpuratum;
cuius ſingulæ guttæ, ſingulæ pro Orbe Chriſtiano gemmæ;
redemêre paratas nocentibus plagas,
hoſtiâ innocenti.
Scilicet hoc Pilauium, hoc POTOCIUM,
non guttatim, aut per ſtillicidia ſanguinem;
ſed totis quaſi Oſtijs trudere;
& vt nunquam viuere, ſine purpura honoris;
ſic & nunqvam, ſine murice ſanguinis mori;
maxima tùm generoſiſſimæ animæ lætitiâ;
cùm pro alijs, vſq; ad vltimam ſanguinis ſtillulam effuſa,
exuvias corporis purpurata relinquit,
OScipiones in prælio! ô Decij in morte!
iam vobis ſeptimum, à ZYROSLAO Pilauio ſeculum,
fortitudo bellica numerat;
ſed palmas, & victorias computat nunquam;
niſi quis computare ſufficiat, cruentas in flumine Pilauio guttas;
vbi perfidia Pruſſorum, proprio ſanguine hauſta,
tergeminæ Crucis, poſuit magnis POTOCIIS
Trophæum purpuratum.
CONSTANTINOS magnos, omnes diceres;
tam feliciter in hoc ſigno vincunt, tàm auguſtè triumphant,
prodigio ſanè Cæleſti;
vt nemo, ex omni barbarie, ferox Maxentius,
virtutem Sarmaticam irritet;
cui non POTOCIVS, cum triumphali Cruce,
ſit CÆSAR, ſit CONSTANTINVS.
Auguſtiſſimi Sanguinis Pilauij,
quæ in MOSKORZEVIIS, KAMIENIECIIS, BUCZACIIS,

STANI-

STANISLAUSCIIS, gloriæ diluuia fecerant,
omnia flumina fluunt, in Pilauam, & Pilaua non redundat;
ex quo, vel in solis POTOCIIS, factus est Oceanus sanguinis;
& gemmearum in bello animarum profundum,
sine fundo.
Erythræos vortices, Indum, & Gangem
citiùs exhauseris;
quàm Heroum, ex hoc sanguine gemmas;
qui in IOANNE POTOCIO, Pannoniam quoq; attonitam fecit;
quando iam tùm coronatus, & augustæ Maiestatis esse cœperat;
dùm pugnat inuictus, pro corona, & gemma
Pannonicæ Maiestatis.
ALEXANDROS, BERNARDOS, ALBERTOS,
NICOLAOS POTOCIOS,
prisci æui, non nomina virtutum, sed monilia,
sacri gazophilacei sui, loco non moueo;
satis stuporis, satis gloriæ,
in IOANNE POTOCIO Palatino Bracłauiensi,
Generali Podoliæ,
vel ipsa Gradiui confessione;
qui totus in vno pectore miratus est seipsum,
ad Istrum, Tyram, Tanaim, & Volgam,
internecioni hostium superesse.
Bellator ille palmarum sine numero,
ad Naupactum contra Turcas maritimo bello,
primordia Victoriarum cùm cœpisset;
contra ROZVANVM deinceps, & MICHAELEM Palatinos Moldauiæ,
nunquam non Victor,
Scythis, Moschis, Dacis, Cosacis, sine numero fusis,
in ANDREAM POTOCKI germanum suum,
Castellanum Camenecensem,
Martis genium transfudit,
spiritu ingenti, & Leonidæ simili;
cui nullæ vnquam Thermopylæ in angusto.
Dacicus hic sæpius Triumphator,
& pro SIGISMVNDO III. in tumultu Ciuili Achilles,
IACOBO POTOCKI Palatino Bracłauiensi,

coronarum fraternæ gloriæ magnitudinem concessit,
Murales, Ciuicæ, Obsidionales,
& quotquot vspiam triumphales coronæ,
huic capiti non suffecêre vnquam;
cui nec Orbis Hyperboreus ad victorias suffecit,
nisi coronas alibi quæsijsset;
stupore hostium, àn fulmine?
cùm Moscua, Pontus, Propontis, passim vbiq;
sub tanto Bellatore caderet;
ceù Iouis tonitru, contra Titanas detonante.
Smolenscum certè,
SIGISMVNDI III. augustis fascibus restitutum,
Camillo huic Polonia debet;
qui primus in Vrbis mœnia cùm euasisset,
Moschua propè in excessum raptâ,
ostendit munimenta omnia, virtuti cedere;
quæ sola Spartam, cùm muniisset;
turres, & mœnia non poposcit.
Opus hoc memorabile,
non aliter æternitati consignari poterat;
nisi signaculo mortis;
dùm Smolensci, in theatro incomparabilis virtutis suæ,
POTOCIVS Occvmbens,
coram Orbis facie spectatissimum duxit,
etiam in morte triumphum.
Proximus illi, coronarum stephanomate,
& triumphorum gloriâ,
STEPHANVS POTOCKI Palatinus Bracławiensis,
Generalis Podoliæ, Regni Notarius Campestris,
mens ipsa Martis, & Heroum amussis;
cuius virtuti, ipsa etiam hostium nomina defuerant;
cùm quicquid vspiam hostile, vicisset.
Dacia infida, paludosa Mœotis, rigens Moschua,
Suecia Regi suo rebellis, vertiginosus Zaporouiensium turbo,
coniurato hic scelere, non profecerunt quidquam,
contra STEPHANVM,
plenum gratiâ, & fortitudine;
qui

qui cùm omnia, in triumphales manubias vertisset;
etiam ex Ciuili seditione,
inuicta fide, & constantiâ triumphauit;
dùm ad coronam Regni, & Augustam SIGISMVNDI III. Cõsortẽ,
Cracouiæ defendendam electus,
tanta sui æstimatione probauit;
maiestatem virtutis, cùm ad summum euaserit;
etiam coronis Regum, & Augustis Consortibus,
seruare in puncto discriminis,
Augustale honoris, & punctum Maiestatis.
Quanquam id POTOCIANO Sanguini,
propè hereditarium,
pro Coronatis Capitibus, in murum Aheneum durari;
seruareq; Orbi Cimmelia hæc;
quibus supra humana omnia, inæstimabile pretium,
Cælestis vnctio dedit:
quo titulo,
Regum æui sui intelligentia, & tersissima pupilla,
SIGISMVNDVS I. Poloniæ REX,
NICOLAVM POTOCKI, Generalem PodoliæGubernatorẽ,
Regali Ocello suo,
SIGISMVNDO Augusto Filio,
Argum centoculum olim delegerat;
vt tanto excubitore, & tanto in rebus Maiestatis Catone,
purissimam Regis, ac verè delicatam pupillam,
etiam minimus, sub cortina Regali, non aspergeret puluisculus.
Sed quàm inter Palatia Principum,
ad seruandos Regum Vniones, ingens POTOCIIS animus;
tàm in cruento Martis theatro,
ad seruandam Patriæ salutem, fortitudo propè stupenda,
septenis iam seculis, quot POTOCIOS,
tot Gradiui miracula dedit;
quorum vel ipsa nomina Orbi proferre,
panegyres dicere est, & coronas;
quarum
NICOLAVS POTOCKI, Castellanus Cracouiensis,
Exercituum Regni Dux Supremus,

 absol-

absoluisse compendia omnia visus,
cùm exhausisset, quicquid vspiã gloriosũ; nõ exhausit subsequentiũ decora;
sed noua illis, operum, & laudũ ingentium, secula reliquit.
Liuonicus, Moschicus, Otthomannicus,
Scythicus, Cosacicus Mauors,
herbam illi vbiq; porrigens, non oppressit in herba gloriam;
sed eòusq; extulit;
vt Regum gloria, & triumphus, Sereniss: olim VLADISLAVS IV.
Augustus illi fuerit panegyristes;
elogio tanti Principis indicante;
quanta fuerit virtutis bellicæ, & triumphalis gloriæ,
in tanto Bellatore Maiestas.
Excessit hâc seculo nostro,
quæsitam bellis maximis, trophæorum omnium magnificentiã,
STANISLAVS POTOCKI, Palatinus Cracouiensis,
Exercituum Regni Dux Supremus,
ILLVSTRISSIMI POTOCII nostri
Auus Bellicosissimus;
cui augustum venerandæ ætatis senium,
non tam incanuerat annis;
quàm effloruerat triumphis.
In bello Ciuili Regi fidus; contra Carolum Sudermannum
Ductor strenuus;
contra Moschouiæ tyrannos, vsq; ad BASILII SUYSCII
infames catenas inuictus;
Osmano ad Chotimum formidandus; Sehino ad Smolenscũ non ferendus;
ex Gustauo Adolpho sæpius Victor,
Scythis, Bystonibus, Cosacis, Suecis,
Transyluanis, Moschis,
vsq; ad Cudnouienses ex Szeremeto palmas,
Achillæa virtute memorandus,
emensus est vitam, non spatio viuendi,
sed bellandi;
cuius triumphalia vestigia, dùm sequitur,
breui compendio complexus est,
magnum in bellica, & Senatoria purpura Auum,
auito, & proprio purpuratus sanguine,
NEPOS.

MONV-

MONUMENTI TRIVMPHALIS, COLOSSVS II.

Breuis, sed laudatissimæ vitæ, Mortisq; gloriosissimæ, palmis, & laureis victricib9 CORONATVS.

PVrpura, & splendor Magni Sanguinis,
heroicas mentes, supra conditionē mortalem, non extollit;
sed immortalia sapere docet, tantò excellentiùs;
quantò purpuratis vestigijs, augustiùs ducuntur,
ad thronum, & imperium mentis.
Admonet Celsissimus Sanguis,
licere quidē ignobilib9 animis, alto Endymionis stertere somno;
sed non Heroum intelligentijs;
quas segregauit, mens illa æterna, rerum omnium creatrix;
vt mouendo continuis vigilijs, præficeret Orbi.
Splendidissimum genus Senatoriæ purpuræ,
hæc Tibi purpurata ad immortalitatem vestigia,
hunc mentis excelsæ dederat principatum,
ILLVSTRISSIME, cui Parentamus,
STANISLAE POTOCKI,
inter Poloniæ Decios, seculis omnibus memorande.
Tanta Heroum Series,
tanta armorum, & triumphorum gloria,
in Sanguine Tuo;
quæ Tibi in Colossum Monumenti triumphalis surrexit,
classicum Tibi fuerat immensi ardoris,
& stimulus ingens animi illius;
quo cùm triumphalia maiorum Tuorum gesta,
præcessisse Tibi in exemplum, præ gaudio arderes;
maximè arsisti ad triumphum virtutis,
in Teipso.

Habe

Habe igitur monumenti Tui,
coronatum rursus Colossum;
quem Tibi ipse, operum excellentium Dædalus,
vitæ quidem, & mortis gloriosissimæ compendio;
sed architecta virtute erexisti;
non tamen sine Archetypo, & Idea absolutissimi operis;
quam Tibi, Celsissimus Parens Tuus
ANDREAS à Potok POTOCKI,
Castellanus Cracouiensis,
in vno æui nostri delicio, POTOCIANÆ gloriæ,
tot secula complexus,
plusquam Phidiæ, & Praxitelis exquisitam
dederat ad amussim.
Magnificentia virtutum, si vspiam purpurata:
in hoc Poloni Senatus Principe,
tantæ purpuræ trabeam induit;
quantam sola nonnisi admiratio capit;
meritis bello, paceq́; tàm ingentibus;
vt scribentibus de se, pro elogio imperet silentium.
Purpura hæc inter Curules Senatorias splendidissima,
rubuit primùm millies,
Moschico, Suecico, Cosacico, Scythico,
Otthomanicoq; inter barbaras acies cruore;
nullo seculi nostri Gradiuo, nulla bellorum ingentium mole;
quæ Atlanti huic non incubuerit,
vsq; ad laureas, & triumphos.
Copiæ militares sumptu maximo,
in quemuis hostium datæ;
vita tota in cuspide Martis, & hostili sub ictu;
spiritus in acie millies effundi paratus;
tota anima in Gradiuum transfusa;
cùm omnia pro Deo, Religione, & Patria profudisset;
corde ad extremum euiscerato,
ipsam cordis medullam, pro Orbis Christiani vita,
Filium in victimam dedit.
Supra hoc eminentissimæ virtutis fastigium,
nullus apex eminentior,

eripit

eripit ſtupentibus cor, & mentem ipſam;
contemplatione profunda, nunquam ſatis capiente,
datum ſeculis omnibus in exemplum,
tantùm, & tàm amantem boni publici,
Patrem ſine exemplo;
in quo,
vt magnitudo animi, & ſumma virtus,
& in Eccleſiam, Pallademq; Staniſlauouienſem,
magnificentiſſima ſacræ liberalitatis profuſio,
ſine pari;
ita & Celſiſſimæ Matris,
ANNÆ POTOCIÆ,
Caſtellanæ Cracouienſis;
pietas, innocentia, conſcientiæ nitor,
& in egenos euiſcerata charitas,
ſupra omne elogium, id meruêre;
vt Filius pro fide, & Eccleſia caderet,
in Odorem ſuauitatis
Hoſtia Deo gratiſſima.
Archetypo huic in magnis Parentibus,
acceſſit & alia, ſummæ gloriæ in tanto ſanguine amuſſis,
ILLVSTRISSIMVS nimirum Patruus,
FELIX à Potok POTOCKI,
Palatinus Cracouienſis,
qui rerum geſtarum magnitudine,
eam Orbi Polono felicitatem peperit;
vt Heroum ferax, viris triumphalibus non egeat;
donec in Martis purpura triumphat
POTOCIVS Sanguis.
Contra inimicos Crucis Chriſti, cum tergemina Cruce ſua
Heros hic maximus,
fortis vbiq;, & inuictus in bello,
Felix, & victorioſiſſimus in triumpho,
virtute, & manu pugnaciſſima adortus eſt,
quidquid vſpiam, ætate noſtra, barbarum, & hoſtile,
prouocauit aciem Sarmaticam, vt in trophæa concederet;
quorum ex Moſchis, Suecis, Coſacis, Scythis, Hungaris,

augusta opera, FELICI POTOCIO
cùm surrexissent;
incomparabili virtute, & fortitudine erectum,
omnium stetit,
Augustissimum ex Turcis Viennense.
Quidni igitur
indolem excelsam, & genium Pilauâ dignum,
POTOCIVS noster hauserit?
ex tàm Heroico maiorum Spiraculo;
sed in eo, generosissimos spiritus animauit in immensùm.
Non hìc tantùm Auunculus Hector;
sed totus Gradiui sanguis,
Pergama fecerat, etiam Spartano robori imperuia;
vbi satis erat, inter cordatissimos censeri,
POTOCIVM nasci.
Quanquam inter hæc armorum rigida,
& à Maioribus, ad seueriora traducem spiritum vrgentia,
mira quoq; cultissimis artibus gratia,
& delicatus eruditæ Palladi locus;
in quo patritiæ Stanislauquiensis Parnassi Musæ,
florida omnia, primo sapientiæ cultu,
postquam egregiè plantassent;
coronidem venustissimo operi imposuit,
Iagellonici Studij, annosis Sceptris, & meritis,
coronata Mater, Vniuersitas Cracouiensis;
stupuitq; in ore POTOCII, ipsas mellificasse Gratias,
& Hyblam, & Hymettum;
cùm auspicia Studiorum in Collegio Vladislauiano,
florentissimæ Pubi Sarmaticæ, in triumphantibus rostris,
coronatus rosis, & lilijs innouaret,
POTOCIVS Orator.
In hoc erudito sinu Gratiarum,
vsq; ad excellentiam ingenij, & suaues Musarum delicias,
spei publicæ formatus;
in Orbem Europæum, & Solem exoticum prodijt,
claritudine animi sic promicans;
vt omnium corda ab eo, ceu à Sole atomi raperentur.

Augusta

Augusta Vindelicorum,
Alemannico primùm idiomati delecta;
mox Augustal Viennæ,
& Imperij Occidentalis sacra,
in Augustissimo LEOPOLDO Maiestas,
perspicaci oculo, & vsu prudenti obseruata,
ad Principum Consortia, & amicitias,
animum POTOCII cultissimum duxit.
Hæsêre in eo,
Celsissima Aulæ Cæsareæ capita,
complexu, & æstimatione maxima, miræ animi elegantiæ;
quæ se tota infuderat selectissimis pectoribus;
sed dilecta maximè,
Principi æquè bellicosissimo, vt & humanissimo,
CAROLO HYACINTHO
Duci Lotharingiæ,
tantam fecerat mentium cohæsionem, tam aureas intus catenas;
vt quamvis POTOCIVS Viennam dimitteret;
ex animo nunquam dimissus, augusta Lotharingi vincula,
& felices amantium vbique circumferret,
tot Principum nexus.
Adria hinc, & stupendus Venetijs Neptunus,
excepit purpuratis Argonautam hunc carbasis;
non Phrygij velleris, aurea quærentem spolia;
sed dites animi fodinas,
& ditissimæ prudentiæ, maiorem Colchide gazam.
Seruijt tanto desiderio, etiam Ausonia tota,
lubensq; Capitolio suo annuit,
Roma Orbis, & animorum Princeps;
cùm Portam Sanctam, magno per Orbem Iubileo;
& Paterna
INNOCENTII XI. PONTIFICIS MAX:
viscera POTOCIO aperuisset;
ex quibus, cælestium diuitiarum, medullam sanè eruit;
cùm donata sibi,
à Vicario in terris Christi INNOCENTIO,
Sacra D. VINCENTII Martyris Lipsana,

D 3 breui

breui & ipse VINCENTIVS, pro Orbe Christiano futurus,
manu verè innocenti recepit.
Felix tam insigni thesauro,
& iam animo Superis coronatus,
inter lilia Galliæ Parisijs,
suaueolentiâ virtutis, & pectoris niue;
lilieti quoq; Gallici,
augustas in se traxit delicias;
venustissimæ gratiæ, ob ebur illibatum,
Regi Christianissimo carus,
& vt flos Heroum æstimatus.
Secutæ pares in Belgium Gratiæ,
non humanæ tantùm, sed cælestes;
quàm eũ sinu fauenti, & excubijs ab altò præsentissimis tulerint;
vicinum Bruxellis discrimen ostendit.
Tranare flumen nauigio, vrgebat itineris cursus;
quod à multis numerosiùs insessum,
cùm inter vndarum vortices, militaris etiam insolentia grauat;
corrreptis pyrio puluere, & haustis flumine plurimis;
Cælesti Nauarcho sic agente,
facta est prora POTOCIO salus;
cùm victimam portaret, calentibus zelo fidei flammis,
in holocaustum Deo acceptabile destinatam;
cui seruandæ, directrix pupilla fuerat,
Summi Vir iudicij, & animi selectissimi,
STANISLAVS CONSTANTINVS KOWALSKI,
Canonicus Varmiensis;
S. R. M. Secretarius.
Felix in tanti sanguinis gemma;
quod ei ex deposito suo, cælesti custodia,
non excidisset.
Ita sub Diuino intuitu, ductuq;,
peragratæ Belgicæ Prouinciæ, maritimaq; Hlloandiæ,
& quidquid sub axe illo visendum.
itumq; in caros Patris, & Patriæ complexus,
occursu illo; cuius gaudiorum nectar,
soli nouêre, qui dilexerant summè.

Sed

Sed post ingentia viarum, modica quies;
magnitudine animi, & rerum gerendarum ardore summo,
non permittente genium illum, publicæ rei capacissimum,
priuatis domi penatibus claudi.
In solem publicum, & quidem augustum,
Serenissimi, & Inuictissimi PRINCIPIS,
IOANNIS III.
vbi prodijt mens illa, in operum maiestatis splendore
defigi; & ex vtroq; Cæsarem nosse auida;
tanti Principis crysim, in amorem, & dulces gratias;
Soliumq; Maiestatis, vertit in elogiũ virtutis.
In Comitijs quoq; Regni, gemino Nũtij Terrestris munere funct⁹,
in splendidissimo illo theatro, vicit expectationem omnium;
ante laticlauium honoris, iam circumferens,
consilij in animo purpuram, & Senatum.
Anhelitu tamen maximo, non dilexit Martem, sed deperijt;
accensus face, & æstu sitientissimo honesti;
dùm Otthomannus, bellis accenderet Orbem.
Classicum in Oriente,
pugnacissimæ animæ, dulcis Amphion,
exciuit in illa, bellaces POTOCIORVM spiritus;
vt omnis seculi exempla, absolueret in puncto;
nec poterat contineri, sacer ille POTOCII Vesuuius;
quin fumaret tantò calentiùs, arderetq;;
cum Byzantium destinasset, pyram rei Christianæ,
& cineris pugillum.
Quanquam & Pallanta suum, grandæuus Euander,
ex visceribus ipsis eruens, non continuit, sed effudit,
donauitq; rei Christianæ;
ne reliquias Europæ sorberet, fatalis in Bistone Turnus.
Ergò nobilissimus Sarmatarum POTOCIVS,
vt Machometanã, in Voragine Viennensi, obturaret mephitim;
decretoria illa Turcis, sed triumphali Christianis die;
dùm inter confertißimas acies, supra robur ætatis,
pugnat fortißime;
supra Mutios, Coclites, Leonidas,
omnium oculis elapsus, gloriosissimè occumbit;

innocenti ſanguine, & ſpiritu, in campis Viennenſibus fuſo;
vt hiatu immenſo barbarici cruoris, & voragine ſua hauſtus,
portentoſæ molis concideret Otthomannus.
Sic cecidiſſæ POTOCIVM oportuit,
ſub Cruce Pilauia, nemine magis triumphante;
quàm qui, pro Cruce Chriſti vicerit ſeipſum;
Victoriâ ſanè incomparabili;
in qua coronarum omnium ſpecioſiſſima, mors eſt ipſa coronis.
Sic cecidiſti, inter Heroum gemmas, Vnio;
inter victimas electas, portio ſelectiſſima;
inter cordatiſſimos Heroum, virtutis ſummitas in puncto;
delicium quidem æui noſtri; ſed ingens ſeculis omnibus negotiũ;
nec ſatis vnquam dicendum, nec ſatis admirandum.
Sed cecidiſti,
SS: INNOCENTII XI. PONTIFICIS Max:
Sacris lachrymis;
Auguſtiſſimi Imperatoris LEOPOLDI
iuſtis ſuſpirijs;
Sereniſſimi, & Inuictiſſimi,
IOANNIS III.
alto Regali gemitu;
Celſiſſimorum Parentum, & Patriæ, POTOCIANIq́; ſanguinis,
immenſo dolore;
ſolius virtutis Heroicæ, tripudio, & plauſu;
quæ Tibi Monumentum Triumphale,
in Sacello D. VINCENTII Martyris, dùm erigit;
aureolam Tibi in Cælis, à Deo ſimilem vouens,
aureis æternitati incidit literis;
hic ſitus eſt POTOCIVS,
mortis glorioſiſſimæ, pro Orbe Chriſtiano
ad Viennam,
Victoria, & Triumphus.